



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Occasio Proxima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**



asserens, B. V. Mariam indignasse purincatione, nam hoc est negare ipsius Virginitatem, & dicere, cum impuritate, immunditia, & fractione claustris Virginalis peperisse Christum Dominum, sicut cæteræ mulieres proprios filios pariunt; cum lex illa *Levit. 12.* Virginem Mariam non comprehendebat, nam ibi textus loquitur de muliere, quæ suscepto semine pepererit masculum, Maria autem nec semine viri concepit, nec viri opera genuit, ut fides docet per illud Symboli: *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*: ergo V. Maria non eguit purificatione, neque ob maculam ullam realem, neque ob maculam legalem, neque ob præsumptionem maculæ, sed purificationis legem implevit ad præbendum aliis exemplum obedientiæ, & ad scandalum vitandum, quin legi minime teneretur, quia sine ulla sorde filium peperit sanctissimè, & purissimè, & in cuius partu nihil erat purgandum, nihil impurum, cum Proles sit fons puritatis, & ipsa mundissima.

## OCCASIO PROXIMA.

430. **Q**Uæritur. An Confessario obligandus sit ad eiciendam concubinam, si hæc nimis utilis sit ad oblectamentum concubinari, vulgò *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur?

Resp. Omnino obligandum esse, ut manifestè patet ex propof. 41. inter damnatas ab Alexandro VII. ratio est, quia occa-

K

sio



asio proxima peccandi materialiter sumpta, ut est concubina domi, tolli debet, nisi detur impossibilitas, aut physica, aut moralis eam tollendi, adeo ut non sufficiat ad eam retinendam, aut occasio lucri, aut causa damni, quia si non detur ea impotentia tollendi occasionem proximam, seu periculum peccandi, hujusmodi periculum est voluntarium, & peccaminosum, qui enim amat periculum, peribit in illo, atque adeo peccat; hinc Christus Dominus *Matth. 18. dixit: si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, vult itaque Dominus, quod etiam oculos, seu ea, quæ maxime diligimus, & præ oculis habemus à nobis abiiciamus, si sint occasio ruinæ spiritualis, melius est enim cum uno oculo ad vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

431. Ex quo sequitur 1. Concubinam eiciendam esse in casibus adductis: quia in iis occasio peccandi est voluntaria, atque adeo peccaminosa, nam damnum illud non est adeo grave, ut refundat impotentiam moralem, ac reddat occasionem illam involuntariam.

432. Sequitur 2. Negandam omninò esse absolutionem ei, qui in proxima hujusmodi occasione peccandi versatur, quamvis dicat firmissimum habere propositum non peccandi, nam tale propositum non est efficax, nec universale, cum non se extendat ad tollendam occasionem proximam, quam debet, & potest tollere.

433. Sequitur ultimò, ad retinendam occasionem proximam peccandi non sufficere quamcumque causam utilem, aut honestam, nec posse eam directè queri pro

spi-



spirituali, aut temporali bono nostro, vel proximi; quod pariter constat ex propositionibus 62. & 63. inter damnatas ab Innoc. XI. & ratio est, quia hujusmodi causæ non efficiunt, quominus ea occasio sit voluntaria, & peccaminosa.

434. Quæritur. An possit absolvi concubiniarius prima vice, scilicet antequam expellat, & relinquat concubinam, cum qua voluntariè versatur?

Resp. Negativè, contra aliquos asserentes posse absolvi bis, ter, vel quater, modo habeat propositum relinquendi, seu expellendi, quorum sententia videtur improbabilis, nam præceptum non retinendi concubinam, quam quis potest dimittere, est negativum: ne retineas: quod obligat semper, & profemper; ergo qui ad penitentiam Sacramentum accedit, antequam occasionem illam tollat, censetur sine debito proposito efficaci non peccandi de cetero accedere, quandoquidem in hoc ipso, quod occasio peccandi non tollatur, quando potest tolli, peccatur; neque obstat, quod dicat habere firmum propositum tollendi, nam si statim non tollit, eo ipso vult de præfenti in ea occasione manere, atque adeo peccat, sicut qui appropinquante leone proponit fugere, & non statim fugit; censetur velle in periculo mortis manere.

435. Quæritur. An possit absolvi concubiniarius, qui prima vice se accusat de occasione proxima, ignorans eam occasionem esse impedimentum absolutionis?

Resp. Nec in hoc casu esse absolvendum, donec concubina expellatur, licet enim ignoraverit obligationem expellendi, ta-



men cum à Confessario de ea monetur, infat præceptum negativum, quod obligat semper, & pro semper.

436. Quæritur. An si dicat Confessario: Pater, jurabo per Deum, me revera quamprimùm concubinam dimissurum, possit absolvi?

Resp. Non est absolvendus, antequam defacto separatio fiat, neque Confessarius exigere, nec admittere debet juramentum; sed jubere ante absolutionem separari, & id semper in praxi sequendum est.

437. Quæritur. An possit absolvi qui concubinam in domo aliena propriis expensis alit, & tantum semel in mense ad ipsam accedit, & cum ea peccat?

Resp. Negativè, quia indispositus est pro beneficio absolutionis, antequam eam amplius non visitet, nec propriis expensis alere cesset.

438. Quæritur. An possit absolvi qui in articulo mortis existens non potest tunc concubinam expellere?

Resp. Aliqui affirmant; modo habeat firmum propositum eam eiiciendi quamprimùm poterit: Nihilominus in re tam difficili magna prudentia opus est, cum non videatur, quid in tam periculoso statu possit impedire, & retardare, quin concubinaris statim eam expellat, scandalum datum est certum, sicut ipsum periculum peccandi est probabilissimum, si non copula ad minus cogitatione, & desiderio, hæc tenetur vitare, ergo etiam ipsam expellere.

439. Quæritur. An possit absolvi, si adducat, quod a pluribus annis habitavit cum femina, ex qua genuit filios, & filias, & omnibus creditur sua uxor legitima; ideoque si  
eam



eam expellat, proculdubio infamia notabili utriusque sequeretur?

Resp. in tali casu debet Confessarius eos matrimonio conjungere, modo sit Parochus, alias vocandus vel ab eo, aut ab Episcopo licentia obtinenda est, ex *Trid. sess. 24. capit. 1. de refor. matr.* etiam duo testes debent esse præsentés, aliter matrimonium esset clandestinum, quod est expressè prohibitum: caveat autem Confessarius, ne vocando testes frangat sigillum, ideo optimum esset petere à pœnitente licentiam vocandi eos.

440. Quæritur. An si sensibus sit destitutus, ita ut non valeat ad interrogationes respondere, nec Confessarius de ejusdem proposito certificari, absolvi possit?

Resp. Vel adstantes testantur Confessarium petiisse, vel non; si primum, absolutio non negetur saltem sub conditione: si est dispositus: quia supponi potest cum vero proposito non peccandi de cætero, & expellendi concubinam Confessarium optasse; si de eo non possunt testari, nec nutibus, & signis, ipse dolorem, & propositum confitendi ostendit, neque sub conditione absolvendus est; cum Christiano more antea non vixerit, sed divinæ misericordiæ commendandus.

441. Quæritur. An possit absolvi ancilla, quæ Confitetur, se à multis annis esse concubinam domini sui, sed velle ex corde ad statum gratiæ redire; verùm si à domo discedat, timet fame perituram, vel cum aliis in peccatum lapsuram, cum multi eam insequantur?

Resp. Non est absolvenda, nisi à domo discedat, etiam si timeat, quod sit fame



peritura, nam quisque tenetur peccatum mortale vitare, etiam cum periculo vitæ, & licet ipsa promittat resistere libidini Domini, nullatenus est absolvenda ante egressum, nam si vult in domo persistere, est signum evidens, quod vult etiam persistere in concubinato; si quæras super quibus sint concubinæ, concubinarij, ac meretrices interrogandi, vide v. Confessio qu. 127.

442. Queritur. An qui versatur in proxima occasione peccandi, quam, tollere aut physicè, aut moraliter non potest, absolvi possit?

Resp. In tali casu opus est magna prudentia in Confessario, ne absolutionem impendat indigno, ideo debet prius interrogare pœnitentem, an ipse possit operari, ut occasio involuntaria ante absolutionem removeatur; si neget, est interrogandus, an aliàs aliis Confessariis super hoc Confessus sit, & quatenus affirmet, videat, an impleverit quæ ei fuerunt ab eis injuncta ad vitandum peccatum, si omisisse reperiat, sine absolutione dimittat, sed admonitus de periculoso statu suæ salutis, & quod tenetur ea implere, si absolutionem desideret; si impleverit, & à peccato abstinuit, absolvi poterit, si verò de illa occasione nunquam confessus fuit, quia peccare incepit ab ultima Confessione, interrogandus est, an si illo mane non communicet, revera immineat periculum scandali, aut infamiæ, si affirmet, tunc ad vitandum scandalum, vel infamiam potest absolvi, modo judicetur dispositus, onere tamen imposito, & per eum suscepto implendi necessaria ad extenuandum periculum proximum; si asserat scandalum.



dalum ex omissione Communione non su-  
boriri, absolutionem differat, & ipsum  
admoneat, teneri suis actibus ad extenuan-  
dum, & seperandum illud periculum,  
adhibendo omnem diligentiam, quæ ad id  
conducere potest, ut non conversari, &  
loqui cum sola, vel in solitario loco, nun-  
quam hilari facie se illi præbere, neque  
reciprocum amorem ostendere, jejuniis,  
& orationibus adversus lapsum se muni-  
re, eleemosynas elargiri, actus contritionis  
elicere, sæpius confiteri &c. vide moni-  
ta S. Caroli à num. 39.

443. Quæritur. An qui versatur in ea  
occasione voluntaria, si bis relabatur in  
peccatum, absolvi possit?

Resp. Videndum, est an impleverit prius  
injuncta à Confessario, si non impleverit,  
non est absolvendus, & quamvis adducat  
sibi periculum scandali, vel infamiæ im-  
minere, non est admittenda excusatio, &  
sibi id imputet, nam aliàs semper debe-  
ret absolvi, quia semper tale periculum af-  
ferret, & sic nunquam tolleretur occasio;  
deinde consideretur, an lapsus potius ex  
fragilitate, & repentino casu fuerit, quàm  
ex voluntaria expositione periculo peccan-  
di, & tunc posset in casu scandali, vel  
infamiæ absolvi, sed Confessarius deberet  
se difficilem ostendere ad absolutionem  
impendendam, eique significare, nullum  
damnum æquiparari posse damno animæ,  
& nihil magis infame, quàm esse turpem  
coram Deo; sed si ter, & multo magis si  
quater relabatur, nullatenus est absolven-  
dus, quia spes emendationis non apparet.

445. Quæritur. An Confessarius possit per-  
mittere pœnitenti, qui concubinam dimi-



fit, ut ejus domum accedat ad visitandos  
 lios, quos ex ea genuit?

Resp. Negativè, propter periculum pec-  
 candi facto, verbo, vel delectatione, cui  
 tamen in casu urgentis necessitatis, & cum  
 viris probis accessum aliquando permittunt  
 nonnulli; sed cave, ne sis laxus.

446. Quæritur. An possit absolvi pœni-  
 tens, qui ex rationabili causa domi retinet  
 mulierem, cum qua solum ter, vel quater  
 in anno peccat?

Resp. Interroget Confessarius, an aliàs  
 super eo fuerit Confessus, & dum affirmat  
 absolvendus non est, quia fructus propositi  
 non apparet; maximè quia non potest Con-  
 fessarius absolvere pœnitentem, dum pru-  
 denter timet de veritate, & efficacia pro-  
 positi, in casu enim nostro debet pruden-  
 ter timere, quia si verum, & firmum pro-  
 positum haberet pœnitens, mulierem illam  
 depelleret, cum qua experitur peccare;  
 nec causa adducta eum potest excusare ad  
 nondimittendum, obstat enim damnatio  
 propof. 61. facta ab Innoc. XI. & urget pe-  
 riculum, quod occasio, quæ videtur remo-  
 ta, transeat in proximam propter circum-  
 stantiam simultaneæ cohabitationis, quod  
 est à Confessario verò similiter præsumen-  
 dum, & proponendum pœnitenti illud  
 vulgatum: mus in pera, ignis in sinu, ser-  
 pens in gremio male suos remunerant hos-  
 pites.

447. Quæritur. An possit absolvi qui exer-  
 cet artem per se licitam, ut negotiatio-  
 nem, militiam, & similes, quæ est illi  
 occasio peccati, furti nimirum, odii, ca-  
 lumnia, detractionis, luxuriæ, fraudum,  
 perjuriorum &c.

Resp.



Resp. Negativè, nam dum Confessarius considerat, quod exercens artem, vel officium, propter habitum pravum non sit peccatum derelicturus, sed in idem relapsurus, si in officio perseveret, & exercitium non deserat, nequit prudenter judicare, eum habere firmum propositum non peccandi de cætero (quod ad validam, & licitam absolutionem est necessarium) ergo non debet, nec potest absolvere antequam pœnitens exercitium deserat, vel debet absolutionem differre, quoadusque ipsum experiatur notabiliter emendatum; ex his manifestum est, quomodo Confessarius se gerere debeat etiam cum Medico, & Chirurgo, quibus propria ars est occasio peccati, quatenus in medendis partibus occultis fœminarum experiuntur voluntarias pollutiones, vel delectationes; & cum Sacerdote, qui in audiendis Confessionibus Mulierum frequenter experitur easdem delectationes, vel pollutiones, quibus omnibus est differenda absolutio, & quando dilatio non proficiat, absolvendi non sunt, nisi realiter, & cum effectu propria ministeria deserant; quod extenditur etiam ad famulos mulierum pulchrarum, experientes propter familiaritatem cum ipsis frequenter consentire in delectationes morosas, prava desideria, & voluntarias impuritates; idem dicendum de his, qui conducunt domos ad ludendum, & subministrant chartas, mensam &c. ludis prohibitis, & de ludentibus qui blasphemant, pejerant, omittunt sacrum, subventionem familiæ, solutionem debitorum, fraudant, divinant per somna; qui absolvendi non sunt, nisi cessent,

K § sed



sed opus est experimento per aliquot dies.  
 448. Quæritur. An sit licitum quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spiritali, vel temporali nostro, vel proximi?

Resp. Negativè, quia id ab Innoc. XI. cum propos. 63. proscribitur; ratio autem esse potest, quia quærere directè occasionem proximam peccandi, est velle directè peccandi periculum, velle autem periculum proximum peccandi est velle peccatum, nam in moralibus idem est, se exponere periculo proximo peccandi, ac peccare; peccatum autem nullus potest velle, quia eligibile non est propter ullum bonum sive spirituale, sive temporale proprium, vel alterius; cum rectus rerum ordo exposcat, & recta ratio dicat, ac ordo charitatis exigat, ut bonum spirituale animæ propriæ præferatur cuicumque bono temporali proprio, & etiam spiritali alterius.

449. Quæritur. An exponens se voluntariè occasioni proximæ peccandi, id aperire debeat in Confessione; quando in ea constitutus, nec cogitatione, nec opere, aut verbo peccat?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia exponere se voluntariè occasioni proximæ peccandi, peccatum est, cum necesse sit, quod velit effectum, qui vult causam, ad quam ille sequitur, quamvis hic, & nunc per accidens non sequatur, & propterea peccat peccato ejusdem speciei cum peccato, cujus occasionem se exponit, quod est in Confessione explicandum, qui enim se exponit occasioni proximæ perdendi fidem, peccat contra fidem, & contra castitatem  
 qui



qui se exponit occasione proximæ violandi castitatem, sive per actum externum fornicationis, pollutionis &c. sive per internum delectationis morosæ, & desiderii impuri, licet in ea cõstitutus nihil desideraverit, nil egerit, nec sibi complacuerit; quod est à Confessariis valdè ponderandum, ut interrogent, maximè personas rudes, quæ in rebus venereis solent solùm se accusare de actu consummato peccati, quinimmò plures nec de interno se accusant putantes consensum non præbere, nisi dum in externum prorumpunt.

### OPINIO PROBABILIS.

450. **Q**Uæritur. Quid sit opinio probabilis, quidve probabilior, & quænam tuta, quænamve tutior?

Resp. Probabilis, est assensus, quo intellectus propter alicujus momenti rationem, vel auctoritatem DD. uni parti adhæret, vel judicat esse licitum aliquid, vel illicitum, sed cum formidine de opposito: Probabilior verò est, quæ pro se habet plures, & majoris ponderis rationes, pluriumque, vel graviorum DD. auctoritatem; rationes sunt, quæ opinionem ab intrinseco probabilem reddunt auctoritates verò ab extrinseco probabilem ostendunt; tuta autem, & tutior opinio dicitur ex quo aliquo modo, vel securius vitat peccatum.

451. **Q**Uæritur. Quid requiratur ad hoc, ut opinio sit verè probabilis?

Resp. Requiritur 1. Quod ratio, & motivum sit magni momenti, non solùm secundùm se; sed etiam comparativè ad argumenta in contrarium, ut ab his non enervetur.